

videtur, quòd ea saltem consentientibus iis consanguineis, qui ex Jure revolutionis ea sperare possent, rectè sub Unionis pacto comprehendantur.

Illud coronidis loco adjiciendum est, quòd bona unita extra casum necessitatis, & sinè prævio Judicis Decreto temerè à Parentibus unientibus alienari nequeant. *Stryck. d. cap. 6. §. 17. Muscul. n. 139. & 140. Rick. cap. 8. n. 7. & seq.*

C L A S S I S V.

D E

Unionis Effectibus.

Effectus Unionis sunt :

1^{mò} Quòd Liberi Uniti absque ullâ aliâ ultimâ dispositione Parentum Unientium in hæreditatem parentelam succedant. *Rick. cap. 7. n. 1.*

2^{dò} Et non expressis quidem partibus in bonis unitis omnes succedunt æqualiter. *Stryck. dict. dissert. 8. cap. 6. §. 18.*

3^{tiò} Uitorum descendentes, licèt in pacto non nominati Avo, Avixque unionis authoribus, vi repræsentationis, unâ cum reliquis imi gradûs Liberis succedunt. *Stryck. l. cit. §. 21. Arg. l. 27. ff. de adopt.*

4^{tò} Neque nepotes Unionem reprobare, sed eidem omninò & quoad omnia capita stare tenentur. *Rick. cap. 7. n. 60. & 66. Muscul. dict. memb. 3. n. 118*

Id tamen Unio non efficit, ut bona utriusque lineæ avita, ad Parentes Unientes necdum devoluta in Unionis veniant communicationem. *Rick. d. cap. 7. n. 25. & seq. Stryck. loco cit. §. 19. Stat. Jul. §. Und soll in allwege zc.*

Nisi cum expresse Avorum consensu aliud in Unione dispositum fuerit *Rick. cap. cit. n. 29.*

Quod de Avorum, idem à fortiori de utriusque lineæ Collateralium Bonis testamento, vel ab intestato, aut alio quovis titulo delatis, *Seythen Gefällen /* tenendum est, prout precedente Classe dictum. *Stryck. d. cap. 6. §. 20.*

Illud præcipue notandum, quòd hoc Unionis pactum reciprocam successionem non efficiat, hinc Parentes Unientes & Adscititii Liberis unitis turbato mortalitatis ordine præmorientibus contra Jus commune vi hujus pacti non succedunt. *Nicol. Betsius de Pact. Famil. Illust. cap. 5. pag. 134.* Nisi aliud expresse conventum, aut moribus inductum, aut particularibus Provinciarum Statutis dispositum fuerit, prout in *Ordin. Archi-Diœcesis Colon. tit. 10. Stat. Ful. §. Dargegen sollen / & Constit. Mogunt. de Unione Prol. §. 6. vers. Sinwiederumb ic.* cautum est.

Collateralium etiam Successionem Jure communi ordinatam hoc unionis pactum prorsus non alterat, unde & Fratres per Unionem adsciti, sive neutro, sive alterutro tantum latere defuncto conjuncti à germanis ejusdem Fratribus excluduntur. *Rick. cap. 7. n. 30. & seq. Stryck. l. cit. §. 19.* quia hoc pactum nullam inducit cognationem, sed parentalem tantum respicit successionem. *Muscul. d. memb. 3. n. 35.*

Licet etiam defunctus in Testamento Fratrum & Sororum fecerit mentionem, cum id de germanis, iisque Fratribus, quibus ex Jure communi successio competit, intelligendum sit. *Rick. loco cit. n. 32.* nisi in testamento Fratres vocans alios, quàm unionem adscitos non haberet. *Rick. n. 37.*

stus

stus Unionis Effectus est, quòd liberam testandi facultatem Parentum unientium in tantum coarctet, ut [licet de bonis in Unionem non deductis, & quoad proprios naturalesque Liberos testari possint] de bonis tamen Unionem affectis præsertim iis, quæ prioris Matrimonii Liberi ante Unionis Pactum acquisita fuerunt, in horum præjudicium testari nequeant; *Stryck. dict. cap. 6. §. 29. contra Franzk. 2. resol. ult.*; cujus certò Sententia æqualitati per Unionem intentæ multum præjudicare posse videtur.

6tus Unionis effectus est, quòd legitimè semel celebrata ab alterutrius Matrimonii Liberi revocari nequeat. *Muscul. d. memb. 3. n. 28. §. 135.*

Obscura tamen adhibitis ordinariis hujus pacti solennitatibus declarari potest. *Rick. cap. 10. n. 14. §. seq.*

Unde sequitur, uniones non ritè factas solenniter, & de novo in meliorem statum reduci posse.

CLASSIS VI.

De Modis Unionem dissolventibus.

UNio legitimè celebrata rursus dissolvitur.

1mò Morte Unientium vel Unitorum & subsequatâ bonorum divisione. *Klock. tom. 3. conf. 160. n. 51.*

2dò Revocatione, mutuo omnium, qui Unioni intervenerunt, consensu factâ *Muller. ad Struv. exercit. 47. thes. 80.*

3tiò Tali Liberos ingratitudine, quæ exheredationem mereatur, Vinculo Unionis quoad ingratum præviâ Magistratûs cognitione sublato. *Stryck. d. cap. 6. §. 28. Rick. cap. ult. n. 27.*

Non tamen cessat Unio ex eo, quòd ex posteriori Matrimonio

Liberi